

cietate, & nutritis. Et si fuerit infortunatus, destruētur, aut infirmabuntur aliqui de societate ipsius, habebit aduersarios, & causas, & si cum hoc receptus fuerit, erit leuius atq; minus hoc malum.

Sol in reuolutione in Piscibus habens testimonium, & potestatem illo anno, si fuerit infortunatus, habebit natus multas tristitias illo anno, malum statum, & fatigabitur in eis. Et si fuerit fortunatus, habebit tristitias sine iure, & forte aliquantum boni.


Sol in reuolutione in Ariete habens testimonium, & potestatem illo anno, si fuerit liber ab infortunis, significat fortunam in substantia, & bona itinera. Et si cum hoc fuerit in aliquo angulorū, habebit dominium à regibus, adhærebit eis, lucrum, & commodum habiturus. Et si fuerit infortunatus, accident ei à regibus tristitiæ, & labores, maxime si ipse infortunatus existens, fuerit in aliquo angulorum.

Sol in Tauro in reuolutione, si habuerit testimonium, & potestatem in reuolutione, saluus ab infortunis super terram, & aspexerit ascendens, habebit negocium natus cum regibus, ac utilitatem & lucrum. Et si fuerit infortunatus, significat quòd attingent eum poenæ, tristitiæ, ac labores ex parte regum, & si cum hoc fuerit in aliquo angulorum, peius, & durabilius erit hoc malum.

Sol in reuolutione in geminis habens testimonium in anno, si fuerit liber ab infortunis, & super terram, & aspexerit ascendens, uel signum applicationis, significat incrementum, & bonum in societate, ac eius nutritis, & forte prolem habebit. Et si fuerit infortunatus, accident ei tristitiæ, & grauamina, ratione horum prædictorum, nec complebuntur eius petitiones.

Sol in Cancro, in reuolutione habens testimonium, & potestatem in anno existens sub terra, significat quòd inimici eius eum illo anno offendent. Et si cum hoc eum Luna non aspexerit, erit peius, & fortius malum.

De reditu Veneris.

 Vm Venus in reuolutione anni peruenerit ad locum in quo fuit Saturnus in radice, significat quòd habebit magnum desiderium coitus. Et Venus cum hoc apparens si fuerit egressa de sub radijs, ab infortunis libera, erit quod de hoc fecerit bono modo. Et si fuerit apparens de sub radijs, & infortunata, fiet hoc quod fecerit turpi modo, & forte uituperabitur inde. Et si cum hoc Venus fuerit sub terra, quod inde fecerit, erit cooperatum, & celatum. Et si cum hoc habuerit Venus testimonium in illo anno, habebit tristitias ratione mulierum, & aget cum illis in turpibus locis, & foedis modis accident ei propter hoc grauamina, multum sequetur eas, & forte illo anno prolem habebit, uel aliquam imprægnabit.

Venus in reuolutione ad locum Iouis radicis, transgressa, significat emendationem in lege, faciet natus itinera ratione legis, & religionis, habebit substantiam de bonis mortuorum, faciet itinera ad fratres & amicos, lucrabitur amicos honoratos & laudatos, proficiet ex eis, infirmabitur, sed postea sanabitur. Et si Venus illo anno testimonium habuerit, infirmitates eius erunt ex uentositate, aut dolore gutturis. Et si Iupiter habuerit ibi testimonium uice Veneris, erunt infirmitates ex melancholia.

Venus in reuolutione pertingens ad locum Martis radicis, si unus eorum habuerit testimonium in anno, significat coniugium, ac magnum desiderium & uoluntatem mulierum, & coitus. Et si unus aspexerit alterum, quidquid uolet, &

M m

petie rit